ter Corcyræ obſidionem, in qua nihil a barbaris vel ad cru- 1537
delitatem durius, vel ad avaritiam crudelius prætermiſſum eſt; Nauplii, & Epidauri urbes petitæ, agri vexati, Cyclades inſulæ, quæ Veneto parebant imperio, pene omnes occupatæ: & tamen qui adjutores ad immenſum hoc pondus ſuſtinendum nobis fuere? Bellum cum potentiſſimo, atque immani hoſte gerendum nobis erit, cujus terreſtres maritimæque vires tanta jamdiu incrementa ſuſcepere, ut formidinem Chriſtianis Principibus incuſſerint. Cur igitur de concordia cum hoſte ineunda prius non decernitur? quæ ſi æquis conditionibus obtineri queat, quis non certam pacem difficillimo, ac periculoſiſſimo bello antetulerit?

Marci Foſcari oratio.

Ad hæc Marcus Foſcarus, Conſilii Sapiens: quin penes Senatum ſumma totius Reipublicæ ſit, ambigere neminem; nihil ſubdole, aut ex compoſito a Collegii Patribus agi; an non Senatuſconſultum de fœdere factum fuiſſe? qui, cum Suleimanus a Salentinis in Corcyræos, mutata ſententia, expeditionem moliretur, Pontificem, & Cæſarem ad ſocietatem ineundam incitavit; fœduſque Romæ, ac Venetiis cunctorum Chriſtianorum plauſibus adverſus Turcas indictum eſt. An modo mandata flagitantibus minime reſpondendum? quæ prudenter decreta fuere, delenda prorſus, ac reſcindenda ſunt? Scilicet, quo univerſum in nos tantum bellum incumbat, nullis ſociis, nullis adjutoribus cum hoſte dimicemus; qui quo majoribus, uti Gradonicus aſſerere viſus eſt, viribus nititur, ut iis obſiſtere ſoli nequimus, eo magis reliquorum Principum amicitiam, & ſocietatem amplecti debemus. Mirandum non eſſe, ſi adhuc itineris longinquitate a Cæſare literæ minime acceptæ fuerint. At Pontifex ſe in concilio kal. maji de expeditione in Turcas agere inſtituit. Num igitur mittenda ob id ad legatum mandata non ſunt, quibus in rem Chriſtianam bene animato vehementiores gloriæ, atque utilitatis ſtimuli addantur? At Canalis literis reſpondendum; de pace cum Suleimano agendum eſt. Id porro Collegii quoque Patres cenſere, ab æquis conditionibus concordiæ non abhorrere: verum, quod maxime inſtat, id modo ut perficiatur, adnitendum. Quis enim barbaræ genti confidat, quæ teterrimo odio in Chriſtianos imbuta, nihil non quotidie in illorum exitium moliatur;

cujus